

tiis addictas ; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata ; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres ; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam » (assentiente Domino loci et auctoritate Ordinarii interveniente, juxta Decretum 3 Augusti 1901). Quibus quidem « adjungi debent Capellæ, in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. »

Ephemerides Liturgicæ censent (XIII, 1899, pag. 694) hæc omnia Oratoria semipublica, etsi verbo non relata in Decreto 5 Junii 1899, talia quoque esse, quorum, posita eorum Consecratione aut Benedictione solemniori, Festum Titulare jure celebrari potest et debet ; etenim omnis ratio celebrationis hujus Festi dependet a Consecratione aut Benedictione solemniori.

His obstantibus dicendum est, Decretum 12 Novembris 1831, in prænotatione citatum, et in nova Collectionis Decretorum editione retentum, non amplius valere, nisi pro Oratoriis et Capellis non consecratis aut non solemniter benedictis.

Gravissimum est hoc novum jus nunc, quia hucusque in Oratoriis, de quibus quæstio, et quorum in nostra Diœcesi ingens est numerus, numquam Titularis Festum fuit celebratum, ejusque celebrationis introductio pluribus dubiis et difficultatibus occasionem præbebit.

4^o Titularis Ecclesiæ Cathedralis recolendus est in cæteris Ecclesiis per totam Diœcesim, ab universo Clero totius Diœcesis, ritu Duplici 1 classis, cum Octava a Clero Sæculari, sine Octava vero a Clero Regulari. Hæc regula constat ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, quorum sufficiat citare Decretum Generale 9 Julii 1895, n. 3863, ad 2 (cfr. Q. 219). Hoc privilegio gaudet Ecclesia Cathedralis ratione primatus qua ista Ecclesia præ cæteris omnibus totius Diœcesis pollet, et quia sedes ibi est Episcopi, cui ab omnibus debetur subjectio et reverentia.

Ita in Diœcesi Leodiensi, ubi Titularis Ecclesiæ Cathedralis est S. Paulus, Apostolus, Festum Conversio-

nis S. Pauli, 25 Januarii, per totam Diœcesim ex hac sola ratione celebratur ritu Duplici 1 classis cum Octava.

In nostra Diœcesi Mechliniensi eodem ritu colitur S. Rumoldus, Episcopus et Martyr, Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ, 1 Julii ; attamen ob alias insuper rationes Festum S. Rumoldi est Duplex primæ classis cum Octava.

NOTA. I. Pro Titulari Festo illarum Ecclesiarum quæ Titulo gaudent B. Mariæ Virginis, absque adjuncta denominatione alicujus Mysterii ejusdem B. Mariæ V. de quo Festum speciale celebratur, habendum est Festum Assumptionis B. Mariæ V. (Decret. S. Rituum Congregationis, 10 Martii 1787, n. 2529, antiq. 4427, ad 1 et 2.) — Unde si Titularis est Mysterium Visitationis, Præsentationis, Immaculatæ Conceptionis, etc., Festum Titularis celebrari debet in his Festis ; item si Ecclesia consecrata aut solemniter benedicta est sub Titulo SS. Rosarii B. Mariæ V. ; alias vero, si Titularis est B. Maria V. absque adjuncta denominatione, aut cum denominatione particulari, de qua Festum non celebratur, ex. gr., B. Maria V. de Refugio, de Pietate, de Salute, etc., Titularis Festum celebrari debet in Festo Assumptionis B. Mariæ V.

NOTA. II. Ad dubium : « An Titulare Festum alicujus Ecclesiæ a 31 Decembris ad quintam Januarii occurrens, habeat Octavam ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 13 Decembris 1895, n. 3876, ad 1.)

NOTA. III. Per Bullam Summi Pontificis Pii VII : *Qui Christi Domini vices*, 29 Novembris 1801, et Decretum Cardinalis Caprara, 9 Aprilis 1802, in toto territorio Reipublicæ Gallicanæ, cui tunc subjectum erat nostrum Belgium, omnes et singulæ Ecclesiæ parochiales cum suis Titulis declaratæ fuerunt suppressæ ; et dein de novo erectæ fuerunt, cum assignatione Titularium : ubi forsitan tunc novi Tituli fuerunt constituti, legitima est eorum electio, et hi solum colendi sunt, et de prioribus nihil amplius fieri debet. (Cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechlinien., Tom. I, pag. 71.)

Q. 225. *Quid si plures dantur alicujus particularis loci Patroni, aut plures alicujus Ecclesiæ sint Titulares ?*

R. I. Generatim, saltem in nostris partibus, Patronus loci habetur unicus tantum, nempe unus pro Regno, unus pro Diocesi, unus pro singulo particulari loco, Civitate scilicet, vel oppido, vel pago.

Attamen haberi possunt plures Patroni.

Distinguuntur tunc Patroni principales et minus principales.

Et inter Patronos principales distinguitur et colitur unus principalior, seu præcipuus, qui solus et unicus colitur ritu Duplici primæ classis cum Octava, et etiam cum feriacione seu sub utroque præcepto (cfr. Q. 220, I, 6). (Decreta S. Rituum Congreg., 13 Sept. 1642, n. 812, antiq. 1411; et 23 Augusti 1833, n. 2707, antiq. 4712.)

Si præter hunc unum principaliorem seu præcipuum, alius insuper habetur Patronus principalis, aut alii habentur Patroni principales, pro istis præceptum feriacionis non exstat; sed S. Rituum Congregatio rescripsit « quod si plures habeantur in loco Patroni æque principales, ad singula eorumdem Festa, præfata celebranda ritu (Duplici primæ classis cum Octava) omnes.... similiter tenentur. » (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 1; cfr. Q. 219.)

Patronorum minus principalium Festum est ritus Duplicis majoris tantum; sed est Festum quod inter primaria recensetur. (Decret. 27 Augusti 1893, n. 3810; cfr. Q. 108.)

NOTA. Hæc regula valet pro Patronis diversis qui distinctis diebus anni occurrunt, ex. gr., si ejusdem loci particularis Patroni æque principales sunt S. Martinus (11 Novembris) et S. Nicolaus (6 Decembris); sed applicari non debet iis Sanctis, qui plures quidem numero sunt, sed per modum unius celebrantur; ex. gr., si Patroni principales simul essent SS. Fabianus et Sebastianus (20 Januarii), aut SS. Cosmas et Damianus (27 Septembris); eorum Festum Patronale in casu per modum unius celebratur.

II. Titularis Ecclesiæ regulariter etiam non nisi unicus datur, sub cujus nomine ædificatur et dedicatur Ecclesia.

Attamen ex recentioribus S. Rituum Congregationis Decretis erui potest, quod duo etiam divisim Contitulares æque principales constitui possunt, sive in Ecclesiæ fundatione electi, sive ab Episcopo consecrante in Dedicacione assignati; imo adsunt exempla alterius Titularis progressu temporis ex Apostolico Indulto adjuncti (Decret. 20 Aprilis 1822, n. 2619, antiq. 4587, ad 1, 2, 3); hodie ambo Titulares ejusmodi gaudent iisdem privilegiis et prærogativis, et utriusque Festum seorsim celebrandum est ritu Duplici 1 classis, cum Octava. (Cfr. Decreta 14 Aprilis 1877, n. 3417, antiq. 5687, ad III; et 12 Septembris 1884, n. 3622, antiq. 5926, ad 3.)

Q. 226. *Quid faciendum est, quando aliquis Sanctus, qui Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ solus est, cum Socio, vel Sociis eadem die in Calendario adscriptus est ?*

Prænotatur: distinguendum est inter socios et socios.

1. Aliqui Sancti in Calendario simul sunt inscripti, conjuncti per se et ex natura rei, scilicet quia inter eos necessaria consanguinitatis vel affinitatis ratio intercedit, et eadem die, eodem anno, eodem loco, eademque ob causam vel passi sunt, vel obierunt; tales sunt SS. Gervasius et Protasius fratres (19 Junii), Joannes et Paulus fratres (26 Junii), Symphorosa et filii (18 Julii), Eustachius cum uxore et filiis (20 Septembris), Cosmas et Damianus fratres (27 Septembris), Mauritius et socii (22 Septembris), Ursula et sociæ (21 Octobris), una excepta Cordula quæ sequenti die passa est; et alii.

Tales Sancti associati non sunt separandi; unde si S. Eustachius (20 Septembris) est Patronus loci, non de ipso solo sed de ipso cum uxore et filiis simul Festum celebrabitur ritu Duplici primæ classis cum Octava; si S. Gervasius (19 Junii) est Titularis Ecclesiæ, ab ipso non separabitur ejus frater Protasius, et de duobus celebrabitur Festum Titularis.

2. Alii Sancti in Calendario habentur simul inscripti, conjuncti ex occasione tantum, quia scilicet eadem die passi sunt vel obierunt, licet forte non eodem anno, non eodem in loco, nec eadem de causa; cujusmodi

sunt plerique inter Martyres, ut SS. Fabianus et Sebastianus (20 Januarii), Vincentius et Anastasius (22 Januarii), Soter et Caius (22 Aprilis), Cletus et Marcellinus (26 Aprilis), Cornelius et Cyprianus (16 Septembris), Januarius et socii (19 Septembris); et alii.

Tales Sancti associati separari possunt et debent, si de uno ex eis celebrandum est Festum ritu Duplici primæ classis, tamquam Patroni loci aut Titularis Ecclesiæ; unde si S. Fabianus (20 Januarii) est Patronus loci, aut si S. Cornelius (16 Septembris) est Titularis Ecclesiæ, de ipsis solis fiet suis respectivis diebus, et de S. Sebastiano ac S. Cypriano fiet postea seorsim, ut explicatur in responso.

R. Si Patronus loci, principalis vel minus principalis, aut Titularis Ecclesiæ descriptus est in Calendario, universali vel particulari, cum aliis Sanctis, quibus est per se et ex natura rei conjunctus, non est a Sociis separandus; si vero cum illis conjunctus fuit ex occasione tantum, tunc a Sociis separandus est, et observari debet sequens Rubrica Breviarii, reformata per Decretum 11 Decembris 1897 (n. 8 post Tabellam Occurrentiæ):

« In ea Ecclesia, vel in loco, fit tantum de Titulari vel Patrono. Alii si in dicto Calendario descripti sunt sub ritu Duplici majori, vel minori, aut Semiduplici, transferuntur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fiat Officium Semiduplex. Si vero sint ex Duplicibus 1 aut 2 classis, similiter in diem primam liberam perpetuo transferantur, et de eis fiat Officium sub eodem ritu ac si propria die celebrarentur. Si autem in Calendario omnes sint tamquam Festum simplex, de eis nihil fit. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 228 et sqq.)

Exempla: 1. Die 20 Januarii celebratur Festum SS. Fabiani et Sebastiani, Martyrum, duplex; supponitur quod S. Sebastianus solus sit Patronus, aut Titularis. Die 20 Januarii fit de solo S. Sebastiano, Martyre, ritu Duplici 1 classis cum Octava; Officium Socii, S. Fabiani, duplex, transfertur perpetuo, seu assignatur in primam diem liberam, quæ fit S. Fabiani dies tamquam propria (cfr. Q. 111, II); sed hac die assignata non amplius celebratur S. Fabianus ritu Duplici, sed ritu Semiduplici tantum.

2. Die 1 Maji, celebratur Festum SS. Apostolorum Philippi et Jacobi Minoris, duplex 2 classis; solus S. Jacobus est Patro-

nus, aut Titularis. Die 1 Maji fit de solo S. Jacobo, ritu Duplici 1 classis cum Octava; Officium S. Philippi, duplex 2 classis, assignatur in primam diem liberam, eodem ritu Duplici 2 classis ac si propria die 1 Maji celebraretur.

3. Die 2 Junii, celebratur Festum SS. Marcellini, Petri atque Erasmi, Martyrum, simplex; supponitur quod S. Erasmus solus sit Patronus, aut Titularis. Die 2 Junii fit de S. Erasmo, Martyre, ritu Duplici 1 classis cum Octava; de SS. Sociis autem Marcellino et Petro, Martyribus, cum eorum Festum sit tantum ritus Simplicis, nihil fit, et in perpetuum omittitur eorum Festi celebratio.

NOTA. I. Tres sunt hujus Rubricæ lectiones diversæ: prima, vetus, quæ viguit a tempore Urbani VIII, ab anno 1631 (cfr. Q. 74) usque ad annum 1885; secunda, nova, quæ viguit ab anno 1885, quo edita fuit a Leone XIII editio typica Breviarii ad normam novarum Rubricarum plane redacta; tertia, novissima, quæ hodie viget, ab anno 1898, post additiones et variationes in Rubricis Breviarii inductas ex Decreto diei 11 Decembris 1897.

Consectaria practica ex hac diversitate enata præclare exponunt Ephemerides Liturgicæ (XVII, 1903, pag. 228 et sqq.). In nostra Diœcesi Mechliniensi nulla Ecclesia in casu est ut applicetur in ea alia norma quam quæ in tertia lectione anni 1898 existit et supra exposita fuit.

NOTA. II. Quæri ulterius potest, quomodo in casu separationis Officia sint ordinanda.

Breviter notare sufficiat quod, tam pro Patrono, vel Titulari, quam pro Socio, omnia dicuntur de Communi illius Sancti cujus fit Officium, ita ut de uno tantum fiat. Pro Sancto Sebastiano, ex. gr., necnon pro S. Fabiano, relicto Officio de Communi plurimorum Martyrum, dicitur bis Officium de Communi unius Martyris. Si Socii plures sunt, pro ipsis retinetur Officium de Communi plurimorum Martyrum.

Retinentur quæcumque in Proprio Sanctorum Breviarii illi Sancto de quo fit sunt propria.

Si Oratio propria commode, vel pauca omittendo, aut mutando applicari potest uni Sancto, retinetur; alias sumitur de Communi quæ Sancto convenit. Pro S. Sebastiano, ex. gr., dicitur Oratio, non *Infirmi-tatem*,

quæ convenit S. Fabiano, sed alia de Communi unius Martyris non Pontificis.

Quoad Lectiones secundi Nocturni, si quæ in Breviario describuntur commode disjungi possunt, ut casus est pro SS. Fabiano et Sebastiano, leguntur tantum illæ Sancti cujus fit Officium, et reliquæ supplentur ex Communi; si commode non possunt disjungi, quales sunt, ex gr., Lectiones SS. Dionysii et Sociorum, 9 Octobris, leguntur Lectiones Festi.

Q. 227. *Quinam tenentur ad celebrationem Festi Patroni loci, et Festi Titularis Ecclesiæ?*

R. I Pro Patrono loci.

1) Patronum generalem Regni tenentur celebrare omnes Regni incolæ, id est, omnis clerus et populus Regni, ritu duplici 1 classis cum Octava, et cum feriatiōe. — Attamen, ut dictum fuit Q. 223, sub 1^o, in nostra Patria Festum S. Joseph, Patroni Belgii, annexam non habet feriatiōem; neque celebratur cum Octava, ratione Quadragesimæ.

2) Ad celebrationem Patroni Diocesis per se non tenentur nisi incolæ Civitatis Episcopalis (Q. 223. 2^o, Nota 2); sed et insuper tenentur, sed absque feriatiōe, seu Solemnitate, incolæ illorum locorum quæ Patronum specialem non habent.

In Archidiocesi Mechliniensi, S. Rumoldus colitur, 1 Julii, ab omnibus per totam Diocesis tamquam Diocesis Patronus, absque feriatiōe; sed ita fit vi Indulti 20 Julii 1838. Idemque fieri debet ubicumque adest consuetudo.

3) Ad celebrationem Patroni principalis loci Civitatis nempe, oppidi, vel pagi, et ad feriatiōem, seu Solemnitatem, tenentur omnis clerus et populus qui illum locum incolunt, etiamsi sint diversarum Parochiarum; et pro clero, etiamsi quidam de hujus loci clero nulli Ecclesiæ sint adscripti, ut apud nos casus est pro Professoribus in Seminariis et Collegiis. (Cfr. dicta Q. 99, sub 2^o et 3^o.)

Iterum repetere hic liceat, quod Patronus sua jura servat integra, etiamsi in loco Patronatus novæ erigantur Parochiæ cum suis propriis Titularibus; nam in tali casu datur tantum separatio a Parochia, minime

vero a loco Patronatus, qui integer omnino remanet. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, XVIII, 1886, pag. 237 et sqq.; et Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiocesis Mechlinien., 1889, Q. VI de Liturgia.)

II. Pro Titulari Ecclesiæ.

1) Ad celebrationem Titularis, ritu duplici 1 classis cum Octava, Ecclesiæ propriæ, consecratæ vel saltem solemniter benedictæ, tenentur illi soli Clerici quibus eadem Ecclesia propria est, seu qui huic Ecclesiæ strictè adscripti sunt, vel ratione Chori ad quem obligantur, vel ratione beneficii quod in ea Ecclesia possident, vel ratione curæ spiritualis, aut stricti servitii, cui, non sua sponte, sed a legitima auctoritate, id est, apud nos, ab Episcopo sunt addicti; quamque non possunt propria sua voluntate deserere ut aliam adeant; tales sunt parochi, vicarii, coadjutores, capellani, etc. Qui vero Clerici in Parochia tantum habitant, etiamsi quotidie in Ecclesia munia quædam peragant, ex charitate vel benevolentia, ex gr., Missam celebrare, prædicare, confessiones excipere, ad hanc celebrationem non tenentur, quia ligamen debitum eos inter et Ecclesiam non habetur. (Cfr. dicta Q. 99, sub 3^o.)

2) Ad celebrationem Tituli Ecclesiæ Cathedralis, sub ritu duplici 1 classis cum Octava, tenentur universus Clerus totius Diocesis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Julii 1895, n. 3863, ad 2.)

3) Ad celebrationem Tituli Oratorii publici consecrati, vel saltem solemniter benedicti, sub ritu duplici 1 classis cum Octava, tenentur Rector aliique qui Oratorio addicti sunt, per integrum Officium; quod si Clerus non sit Oratorio adscriptus, celebrabitur Titulus per solas Missas quæ in Oratorio celebrantur, juxta Rubricas. (Decret. 5 Junii 1899, n. 4025, ad 1 et 4.)

4) Ad celebrationem Tituli in Oratoriis semipublicis (cfr. Q. 224, 3^o), si consecrata vel benedicta solemniter fuerint, sub ritu duplici 1 classis cum Octava, tenentur Rector, aliique qui Oratorio addicti sunt, per integrum Officium: quod si Clerus non sit Oratorio adscriptus, celebrabitur Titulus per solas Missas quæ in Oratorio celebrantur, juxta Rubricas. (Decret. 5 Junii 1899, n. 4025, ad 5.)

Unde dicendum quod « si in aliquo Seminario, vel ecclesiastico Collegio, vel etiam Nosocomio habeatur Oratorium consecratum, vel solemniter benedictum, in eoque adsit saltem Rector canonicè institutus, vel Præses, Professores, alumni in sacris constituti, etc., nullimodè dubitandum, præfatos ad Festum Titularis dicti Oratorii esse obligatos; ipsi enim Clerum illius constituunt. » (Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, p. 694.)

Equidem in variis Decretis S. Rituum Congregationis, ante præfatum Decretum latis, celebratio Tituli Ecclesiæ aut Oratorii publici reperitur præscripta Rectoribus, Professoribus, alumnisque Seminarii, sive ecclesiasticis viris Collegio aut Gymnasio adscriptis, quando Seminario aut Collegio adnexa habetur ad eorum usum Ecclesia vel Oratorium; sed in his Decretis semper quæstio fuit de Ecclesia vel Oratorio consecratis et publicis, seu publico usui fidelium patentibus, aut saltem consecratis. (Cfr. Decreta 27 Februarii 1847, n. 2939, antiq. 5079, ad 3; 28 Septembris 1872, n. 3279, antiq. 5521, ad 2; 14 Maji 1887, n. 3676, antiq. 5987, ad 1.) Nunc autem sufficit semipublicitas et sollemnis benedictio ad obligationem celebrationis Tituli.

NOTA. Ad celebrationem Titularis Oratorii per Officium seu Horas canonicas non tenentur illi Sacerdotes, qui ex benevolentia, etiam accepta forsitan pro benevolentia remuneratione, regulariter Missam celebrant in aliquo cujuscumque Instituti Oratorio, et ibi alia etiam munera peragunt, sed ad hoc missi non sunt ab auctoritate; non enim sunt proprie adscripti seu canonicè instituti. Attamen in Festo Titularis Oratorii, et per Octavam, in hujusmodi Oratorio Missam celebrare tenentur eo modo qui per Rubricas præscribitur pro Festo duplici primæ classis et pro ejusmodi Festi Octava.

Q. 228. *Ad quid tenentur Regulares pro celebratione Festorum Patroni, vel Titularis?*

R. Regulares, illi nempe qui Calendarium peculiare Ordinis et Sanctorum Proprium a Sancta Sede obtinuerunt, ad sequentia tenentur pro celebratione Festorum Patroni, vel Titularis:

I. De Patrono principali Regni, et loci in quo degunt,

debent celebrare Festum ritu duplici 1 classis, sed sine Octava, et sine feriacione, seu Solemnitate.

Si locus particularis in quo degunt Patronum non habet, tunc tenentur de Patrono Diocesis celebrare Festum, ritu duplici 1 classis, sed sine Octava, et sine feriacione.

De Patrono loci minus principali, qua tali nec debent, nec possunt Regulares Festum celebrare.

II. Titularis suæ propriæ Ecclesiæ, aut Oratorii debent celebrare Festum juxta regulas generales (cfr. Q. 227, II).

Etiamsi sint exempti, seu non subditi Episcoporum, tenentur tamen Regulares celebrare Festum Titularis Ecclesiæ Cathedralis Diocesis in qua degunt, ritu duplici 1 classis, sed sine Octava. (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 2.)

Q. 229. *Quid disponunt Rubricæ et Decreta, de Suffragio Patroni, vel Titularis, quod in Officio divino dici debet?*

R. I Rubricæ præscribunt quod Suffragiis, seu Commemorationibus communibus quæ dicuntur in Laudibus ac Vesperis (et de quibus agitur Q. 46), « adjungitur Commemoratio de Patrono, vel Titulo Ecclesiæ, ante vel post Commemorationem de S. Maria, de Sancto Joseph, et de Apostolis, pro dignitate illius. » (Rubricæ generales, Tit. XXXV, n. 1.)

Rubrica loquitur de Suffragio Patroni, vel Titularis Ecclesiæ; quando differt Patronus a Titulari, certo dicendum est Suffragium Titularis; de Patrono loci autem dici debet tantum si vigeat consuetudo, ut declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto infra citato, 27 Junii 1899, ad VIII.

In Archidiocesi Mechliniensi viget consuetudo, ut Suffragium Patroni loci dicatur ab iis qui nulli Ecclesiæ vel Oratorio sunt adscripti, et consequenter Suffragium Titularis dicendum non habent; qui vero alicui Ecclesiæ vel Oratorio sunt adscripti, et tenentur ad celebrationem Festi Titularis (Q. 227, II), dicunt Suffragium Titularis, sed non adjungunt Suffragium Patroni loci.

II. Sacra Rituum Congregatio sequens edidit « De S. LITURG. TRACT. DE OFF. DIV. 26

cretum circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum ». (Decret. 27 Junii 1899, n. 4043.)

« Quum dubia sæpius exoriantur circa Commemorationes in Suffragiis agendas, tum ex eo quod varios casus particularesque generalis non valeat contemplari Rubrica ; tum quia super eadem declarationes innumeræ, ab hac Sacra Congregatione prolatae, in Decretorum Collectione hac illac dispersæ, sine gravi labore vix reperiri queant ; ac præterea, pro variis locis casibusque peculiaribus plerumque emanatae, quamdam aliquando antinomiae speciem inter sese ferre videantur ; ut in re quotidiani fere usus, quæ in diversis Ecclesiis, pro varietate Titularium ac Patronorum, necessario est dissimilis, norma quædam certa habeatur et obvia : Sacra Rituum Congregatio, re mature considerata, per Generale Decretum ad dubia quæcumque tollenda, ea, quæ sequuntur, declarare ac decernere statuit :

I. Quilibet, sive Secularis sive Regularis, alicujus Ecclesiae servitio, quocumque canonico titulo, addictus, dummodo Ecclesia sit publica etsi non consecrata, tenetur, tam in Vesperis quam in Laudibus, diebus a Rubrica notatis, inter Suffragia Commemorationem agere de ejusdem Ecclesiae Titulo, non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili ; et quamvis Commemoratio jam soleat fieri Patronorum loci vel regionis.

II. Commemorationes in Suffragiis numquam fiant de iis Mysteriis vel Sanctis, de quibus eadem die agitur Officium. Immo neque in Officio votivo de Passione, fiat Commemoratio de S. Cruce aut de SS. Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi ; sed neque de S. Michaeli Archangelo in Officio votivo SS. Angelorum.

III. Similiter, Commemoratio de Ecclesiae Titulo, jam communiter in Suffragiis agenda, semel tantum fiat, et per Antiphonam communem. Itaque, si Titulus Ecclesiae sit ipsa sancta Crux, ejus Commemoratio, tam intra quam extra tempus Paschale, non fiat nisi semel ; et per Antiphonam, Versiculum et Orationem,

quæ inter Suffragia pro diversitate temporum annotantur. Pari prorsus modo, Commemoratio de Beata Maria Virgine, alicujus Ecclesiae Titulari, etiam sub denominatione Annuntiationis, vel Assumptionis, vel hujusmodi quacumque alia, fiat semper per Antiphonam communem *Sancta Maria succurre miseris*, cum Versiculo et Oratione ibidem suppositis : et hæc sola Commemoratio sufficiat, ut dictum est supra.

IV. Si vero tam Officium diei, quam Commemorationes circa idem objectum, haud tamen sub eadem ratione versentur ; tunc Commemoratio Tituli non omittatur. Sic de SS. Salvatore, Ecclesiae Titulo, agenda est Commemoratio etiam post Commemorationem S. Crucis, immo in ipsa Dominica secunda Quadragesimæ.

V. Ceterum, de Titulo Commemoratio fiat omnino specialis, nec sufficit eidem cum aliis Sanctis non Titularibus communis.

VI. Notandum autem est Commemorationem Beatæ Mariæ Virginis communem omittendam esse in Choro, juxta Rubricam, quum recitatur ejusdem Beatæ Virginis Officium parvum.

VII. Tituli Commemoratio inter alia Suffragia locum teneat, pro dignitate ipsius, a Rubricis assignatum. Sic ex. gr., Commemoratio S. Michaelis Archangeli præponatur Commemorationi S. Joannis Baptistæ, S. Joseph et SS. Apostolorum Petri et Pauli, quorum quidem Commemoratio præponenda est Commemorationi aliorum Apostolorum.

VIII. Præter Commemorationem de Titulo seu Patrono Ecclesiae (et Regulares etiam de proprio Fundatore), nulla de Patrono Loci, vel Diocesanos, Provinciae aut Regni, vi Rubricæ facienda est ; nisi contraria viseat consuetudo. Quo in casu, nisi aliter exigat personalis dignitas, Commemorationes hujusmodi hoc ordine fiant : ut Loci seu civitatis Patronus Patrono Diocesanos, hic vero Patronis universalioribus, in Suffragiis anteponatur. »

— Præfatum Decretum Generale præscribit Suffragium esse dicendum de Titulo Ecclesiae, « dummodo Ecclesia sit publica etsi non consecrata » (ad I) ; ergo de Titulo Ecclesiae consecratae, aut saltem solemniter